HIERONYMI HENRICI ROMANI.
S. TH. ET I. V. DOCTORIS
ET
IN ALMAE VRBIS GYMNASIO
LEGVM PVBLICI PROFESSORIS

ORATIO
HABITA ROMAE XIV. KAL. MART. IN TEMPLO S. SABINAE.

DVM

A SVMMO PONT. ET AMPLISS. CARDInalibus, In prima Die Cinerum ſacrum haberetur.


AD SANCTISS. D. N.
CLEMENTEM VIII.



ROMAE, Apud Gulielmum Facciottum. M D C.



SANCTISSIMO D. N. CLEMENTI VIII. PONT. OPT. MAX.





VM in illo Beatissime Pater Sanctitatis tuæ, amplissimorumq; Cardinalium ad sacra peragenda in Sanctæ Sabinæ templo, veteri Pontificum more, consessu, orationis, atque Euangelicæ interpretationis munus obijssem, & si nullo meo merito, non tamen ingratam multis (et quod potissimum mihi semper fuit) humanioribus à Sanctitate tua auribus illã haustam animaduerti. Quapropter cùm plerique eius exemplaria à me efflagitent, typis commendare cogor. Sed vt illa quæ cepta, & nata est, eadem quoque fœlicitate adulescat: tuo sub sanctissimo nomine concepta, nata atq; adulta in hominum lucem, conspectumque se profert. Clementi Clemens Pont. Max.

 exiguum

exiguum munus, floresq; istos, animo, ex meis bonarum artium hortulis humiliter rogo, accipias: breuì, amico Pietatis tuæ cœlo confotos, vberiores fructus Deo adiuuante recepturus. Interim Deum Omnipotentem precor, vt Sanctitatem tuam ad Christianæ Reipublicæ decus, & gloriam quàm diutissimè seruet incolumem. Datum Romæ VIII. Kal. Apr. M. DC.

Sanctitatis tuæ

Humillimus seruus

Hieronymus Henricus.





VO maiores in his cinerum diebus à cunctis, qui Christi fidem per vniuersum terrarum Orbem colunt, Beatissimè Pater, ad expianda scelera, indulgentiam implorandam, preces enixè immortali Deo effundendas conatus intenduntur: eò in hoc amplissimo cunctarum, exterarum maximè gentium conuentu, atq; conspectu vberiora, & Ieiunij, & Pœnitētiæ opera efficienda maiori orationis ardore iure optimo prædicamus. Cū ieiunatis apud Matthæum nobis præcepit Dominus nolite fieri sicut hypocrytæ tristes, exterminant enim facies suas, vt appareant hominibus ieiunantes. Qua verborum structura, & quo orationis genere, Quis Card. Amplis. nostrum est, qui opus istud doloris insigne, ob quem ieiunamus, libidinum illecebras opprimimus, pectus contundimus ita Saluatorem nostrum exoptare nō videat; vt ex eo non inanem hominum auram, non vt ab hominibus ex tanto opere iustam recipiamus mercedem, sed vt ab ipso vltra con dignum liberalissimo præmiorum largitore cœlestia munera certissimè consequamur? Et rectè meo quidem iudicio leges item humanæ sanxere, opus sua rectitudine non perfectum, imperfectū iudicari. Sicut ille non faciendo inobediens fuit, ita tu non ritè faciendo. Non ieiunare malum. Ieiunare vt hominibus ieiunantes videamur quales hypocrytæ sunt, peius. Exterminare idest; vt Hieronymus interpreratur, faciem suam demoliri, vt per imposturas, atq; fucos nos hypocritæ homines decipiamus, Deum vero qui cordis intima, inuisos atq; abditos illius sensus, & intuetur, & respicit minimè fallentes exemplo peximum, nobisque exitiale esse concerno. Igitur cùm iste orationis meæ sensus sit, & iste scopus, in hypocritas velut hominum genus Christianæ Reipublicæ infensum atq; exosum me inuehi oportet, & ita Sanctum Dei Euangelium interpretabor, vt quo ordine, aut qua via rectè futuris istis diebus exteræ gentes, quę ad Iubilæum Romam copiosissimè confluxere, ieiunare non modo, sed & pœnitentiæ reliquas partes aggredi valeant, à Domino ediscant. In cuius rei amplissimum documentum illud quidem à sancto Ioanne Chrisostomo, ar-

mo, ar-

mo, argumento aptiſsimum adfertur, nos quando non propter noſmetipſos, ſed propter alios amamur, huiuſmodi dilectionem arbitrari iniuriam: idem in virtutis ratione conſiderandum, vt eam non propter alios appetamus, neque propter hominem Deo, ſed propter Deum potius hominibus obtemperemus. Alioquin ſi virtutem etiam videamur ſequi, nihilominus ſimiles non ſequentibus Deum in iracundiam concitauimus. Iſti proculdubio hypocritæ ſunt, qui tàmdiù clari non veræ virtutis ſplendore, quò contra in illuni nocte veritatis aſſecla per innumeras tenebras emicat, atque coruſcat, apparent: ſed quàmdiù aſſiſtit adſtantium multitudo. Imò nec tunc quidem coràm omnibus clari ſunt. Norunt enim videntium plurimi quos ſeſe eſſe effingant: veruntamen theatro illo ſubito diſſoluto, quales ſint, manifeſtiſſimè omnibus reuelatur. Hoc igitur gloriæ cupidos pati prorſus neceſſe eſt, ſub hac enim ſola ſtudent latere perſona: multò autem magis depræhendendi ſunt in futuro, cùm nuda omnia, atque perſpicua apparuerint. Ad hypocriſim iſtam, iſtaſque fallacias aliquando hominis natura trahit, ſpectatorum corona allicit, rei euentus nos miſeros ſæpiſſimè decipit, atque inducit. Nam illa corporum contextura quæ ad actiones inexcogitatas celerrimè euehitur, atque rapitur, abruptos illos, atque longiſſimos animi anfractus perpeti minimè mè poteſt. Contrà altera in profundiſſimis eius cogitationibus conſepulta alienas inquirit, atque obſeruat, inque illas, velut in aduerſum motus ſuos adaptat, atque contorquet. Tantus demùm, & blandientium, & adulatorum cœtus ſe ſe nobis offert, vt rarum inueniamus hominem flagitiorum non ex iracundia exprobatorem, ſeu non falſum potius aſſentatorem. Mundus iſte decipi vult. Magni etiam viri, & in magnis dignitatibus conſtituti, habent quàm ſæpiſſimè Doctores prurientes auribus. In malitia ſua Oſeas teſtatur, lœtificauerunt Regem, & mendacijs ſuis Principes. Plerumque laudator peccator in deſiderijs animæ ſuæ, & iniquus benedicitur. Poſtremò rerum euentus is eſt, vt cum hominum corda nullus ex mortalibus agnoſcat, per voces, vultuſque quis raro percipiat: exaltetur ſæpiſſimè peccator, bonus vero ſua innocentia, aut eius liberali agendi genere con-

re conculcetur. Hoc sibi hypocrita, vel vt bonus iudicetur, vel vt in dignitates irrepat, vel vt falsum doceat mente voluit, atque compendit. Ne inquit scandalizem multos, id facio. Quid ais? Diuina lex est ista pręcipiens, & tu scandali mentionem facis? Custodiens præceptum Dei scandalizare te putas, transgrediens vero scandalis liberari? ò indignum hominum genus. Christus Iesus sua bonitate perfectus inter stultos connumerari voluit, ieiunaturus in desertum contendit, cum dares eleemosinam cui fieri nequit, ne alter interueniat, præcepit nescire dexteram, quid læua faceret, Pater enim qui videt in abscondito reddet tibi. Et tu cum ieiunij negocium, quod solitarium est, peragis: ita ieiunans videri appetis, vt faciem tuam extermines. Et cùm tua tu natura hilaris sis; tristis fieri ad inanem insectandam gloriam coneris. Sufficit enim tibi, vt qui est inspectator conscientiæ, sit etiam, & remunerator. Hæc enim prœmia tanto minus optanda, quanto ocyus nobis deceptis, prolabuntur, & corruunt. Memento homo inquit Ecclesia, quòd cinis es, & in cinerem reuerteris. Et reuerteris in cinerem quando nec tibi reuertendum putas, nec reuersionis horam instare, nec Deum iustum vindicem de verbo otioso rationem quoque expetiturum. Et nihilominus & resolutionis nostræ dies instat, dicam aptius, non instat sed vrget, non vrget, sed perstringit, vt præcocia cinis plura adulescentium corpora, quàm serotina humo senum mors frangat, atque corrumpat. Non paruus est fructus humanam contemnere gloriam, velut qua via à graui hominum seruitute liberemur. Itaque omnis nostra intentio in interiora gaudia dirigenda est, ne foris quærentes mercedem huic sœculo conformemur, & ammittamus promissionem tanto solidioris, quanto interioris beatitudinis, qua nos elegit Deus conformes fieri imagini filij sui. Quamobrem, & ieiunandum nobis est, & ieiunium ita peragendum, vt cuncta quæ in eo desiderari possint, compleamus. Ptimum eos nobis subtrahamus cibos, qui a rerum diuinarnm contemplatione ob efferatam, aut nimis pinguem eorum naturam mentem nostram eripiunt, atque seducunt. Alterum. Sic ieiunemus, vt quantò hypocritę inani gloriæ ieiunando ad propinquant; tantò nos

abea,

ab ea, non ſolum faciei rubore; verùm conſcientiæ noſtræ integritate, & in Deum ardore ab illa extorres alienique efficiamur. Deo enim amore nobis inſeruiendum eſt, non timore, ob quem ne in malã de nobis apud mortales exiſtimationem incidamus, extimeſcendum ſit. Demum vngere Chriſti Saluatoris præcepto caput admonitos nos oportet. Id vult interius corde ob ieiunium gaudere. Ridiculum eſt in ieiunio oleo caput vngere, ſed ſpiritu amoris eius, de cuius paſſionibus debemus participare nos macerando, mens debet inungi. Extremum. vitiorum depoſitione non ſola iſta ciborum parcitate ieiunium implendum eſt. Nàm cum ob hoc caſtigatio iſta ſumatur, vt carnalium deſideriorum fomites ſubtrahantur, nullum magis ſectandum eſt continentiæ genus, quàm vt ſemper ſimus ab iniuſta volontate ſobrij, & ab inhoneſta actione ieiuni. Quę deuotio non ſecernit inualidos, quia etiam in languido corpore poteſt animę integritas reperiri. Hęc omnia Beatiſſime Pater, ſi tanto à nobis in iſto dierum breui ad pœnitentiam peragendum curſu ardore complebuntur: quanta à me, etſi exili dicendi genere, ſumma tamen veritate prolata, & à Sacerdotibus maiori rerum, verborumque apparatu in dicta ſunt, & in poſterum indicentur, poſt breue iſtius fragilis vitę ſpacium, ad immenſum ęternę illud diuina fauente clementia nos ſpero peruenturos.

F I N I S.

